

LEGES RECTÆ DIVISIONIS.

Leges
recte divisionis:

85. Quemadmodum superius monuimus circa definitionem, ita nunc notandum est, divisionem non tam commendari eo quod *vera* quam eo quod *bona et recta* sit. Leges vero rectæ divisionis variæ possunt recenserî.

1.^a Regula 1.^a *Divisio adæquata esto*, seu talis, ut membra dividentia simul accepta æquent divisum. Itaque vitiosa erit, quæ aut plura aut pauciora membra enumeret, quam quæ in divisio continetur.

2.^a Regula 2.^a *Divisum excedere debet singula membra dividentia*; totum enim majus est sua parte. Quare perperam dividenter animal in *vivens*, *sensitivum* ac *rationale*.

3.^a Regula 3.^a *Divisio fiat in membra invicem opposita seu excludentia*, talia nempe, quæ vel re vel ratione inter se distinguantur, nec unum in altero contineatur: quia secus revera non erit pluralitas membrorum, quam tamen importat ex sua essentia divisio. Hinc vitiosa erit divisio viventis in *plantam*, *animal* et *hominem*; homo namque sub *animali* contineatur: itemque divisio animalis in *rationale* ac *risibile*, ac divisio terræ in *Europam*, *Asiam*, *Africam*, *Oceaniam* et *Italiam*.

Recta nihilominus habetur ex communi sententia divisio substantiæ in *completam* et *incompletam*, licet peccare contra tertiam hanc legem videatur. Et ratio est quia quamquam incompleta substantia includatur in completa velut pars ejusdem; tamen non participat rationem substantiæ præcisæ quia continetur in completa, sed immediate per seipsam, et independentem a tali continentia: id quod locum non habet in allatis superius exemplis, nam risibile non est animal independentem ab homine, nec Italia est pars terræ nisi prout contenta in Europa. Ob eandem etiam rationem recta est divisio continui permanentis in longitudinem, latitudinem et profunditatem, licet in latitudine contineatur etiam longitudo et utraque in profunditate.

Et afferri quoque potest alia ratio ad persuadendam rectitudinem harum divisionum, quia nimirum potest dari sive re sive saltem cogitatione longitudo sine latitudine, puta in linea, et utraque sine profunditate, videlicet in superficie: itemque

non omnis substantia completa coalescit ex variis incompletis, cum dentur substantiæ completæ simplices. Ergo revera membra hæc divisionum distincta sunt, aut certe esse possunt.

4.^a Regula 4.^a *Divisio sit brevis*, ne confusionem potius pariat, quam afferat perspicuitatem. Quamquam enim fieri possint variæ divisiones ac subdivisiones, quantum opus est ad plenam rei declarationem; modus tamen adhibendus est, ne sine necessitate partitiones ejusmodi nullo fine protrahantur (1).

5.^a Regula 5.^a Commendatur etiam, *ne fiat divisio in membra negativa*, quæ nequeunt non officere perspicuitati, generatim loquendo. Ubi nota dari non paucas divisiones in membra, quæ videntur quidem negativa, re tamen vera positiva sunt: hoc pacto animal dividitur in *rationale* et *irrationale*; substantia in *corpoream* et *incorpoream*; ens in *finitum* et *infinitum* etc. (2).

86. SCHOLIUM 1.^{um} Modi arguendi a divisione videri possunt apud Lossada (3), et Joannem a S. Thoma (4) aliosque passim auctores.

SCHOLIUM 2.^{um} Queritur utrum divisio a definitione distinguatur. «Affirmandum est procul dubio, scribit recte Lossada, quantum ad divisionem *accidentalem*, *integrale*m, necnon *potentialem per se*. Non enim animal v. g. definitur per *hominem* aut *brutum*, nec per *rationale* aut *irrationale*, per quæ dividitur; sed solum per *vivens sensibile*. Quod si divisio potentialis comparatur cum membris dividentibus, non erit eorum definitio, si utatur nominibus specierum; v. g. *animal*, *aliud homo*, *aliud brutum*. Sin autem nominibus differentiarum utatur, tum definitiones membrorum continebit, subauditio scilicet in singulis nomine divisi: Unde hæc v. g. *animal*,

(1) «Comprehendere, quemadmodum magna ita minima difficile est, inquit Seneca. Describitur in tribus populus, in centurias exercitus. Quidquid in majus crevit, facilius agnoscitur, si discessit in partes, quas innumerabiles esse et parvas non oportet. Idem enim vitii habet nimia, quod nulla divisio.» Epist. 89.

(2) Vide P. Fonseca *Inst. Dialect.* lib. 4, cap. 12.

(3) Lossada loc. cit. cap. 5, n. 8, seqq.

(4) *Summul.* lib. 2, cap. 4.

aliud rationale, aliud irrationale, definitiones continet hominis et bruti. At non ideo confunditur cum definitione divisio, cum hæc respectu totius, cuius est divisio, definitio non sit (1).

Major est difficultas circa divisionem *essentialem* atque *actualem*. Cum enim definitio v. g. hominem per *animal rationale*, quid amplius facio quam enumerare partes metaphysicas, quibus homo coalescit? Idem proinde facere videor, quam si hominem dividerem in animal et rationale. Et ita se rem habere quidam existimant.

Nihilominus videtur adhuc ejusmodi divisio actualis a definitione discrepare, saltem in *modo tendendi*, nam definitio enumerat partes per quas etiam fit divisio, illas exprimendæ per modum compositionis, synthesis seu copulationis in unam completam essentiam; divisio autem illas enumerat exprimendo illas opposito modo, nimirum per modum resolutionis et segregationis essentialis unius in suas partes atque elementa. Quare sicut propositio copulativa et disjunctiva ex iisdem membris confectæ, v. g. *Petrus et Paulus Romæ occubuerunt* et *aut Petrus aut Paulus Romæ occubuit*, diversas species constituunt ob diversissimum tendendi modum, idem dicendum est in casu nostro (2).

DISPUTATIO SECUNDA

DE HIS QUÆ PERTINENT AD SECUNDAM MENTIS OPERATIONEM.

87. Secunda mentis operatio est iudicium seu propositio mentalis, de qua tria potissimum disputat Logica: quid sit, quotuplex, et qualis, seu quibusnam gaudeat proprietatibus (3).

(1) *Summul.* loc. cit., disp. 3, cap. 5 n. 15.

(2) Cfr. Lössada. *Logica*, tract. 5, disp. 1, cap. 2, n. 17, 18.

(3) Scripsit de his Aristoteles in libris *Perihermenias* seu de *Interpretatione*.

CAPUT I.

DE IUDICIO EJUSQUE

ORALI EXPRESSIONE.

Quamquam iudicii natura tractari nequeat in Logica pro dignitate, sed reservanda omnino sit ad tractatum de *Anima*; declarari tamen aliquo modo debet, quantum satis est, tum ad rectam ejusdem directionem in assecutione veritatis, tum etiam ad rite percipiendam doctrinam de structura ratiocinii ac syllogismi, qui ex pluribus necessario iudiciis coalescit. Et quoniam omnis propositio logica nomine constat ac verbo tamquam elementis essentialibus (1), estque species quedam orationis, de his quoque agendum est, antequam iudicii oralem expressionem aggrediamur (2).

ARTICULUS I.

Quid sit iudicium.

88. Iudicium est actus mentis, qui binos conceptus aut Quid iudicium. affirmatione componit, aut negatione dividit. *Una duarum operationum intellectus est*, inquit D. Thomas, *indivisibilem intelligentiam* (simplex apprehensio), *in quantum scilicet intellectus intelligit absolute cujusque rei quidditatem sive essentiam per seipsam, puta quid est homo, vel quid est album, vel quid aliud hujusmodi. Alia vero operatio intellectus est, secundum quod hujusmodi simplicia concepta simul componit et dividit* (3). Nam cum mens comparisonem instituit inter binos conceptus, vel deprehendit illos identificari vel discrepare, et prout deprehenderit, ita fert sententiam instar iudicis, *componendo*

(1) Vide S. Th. *Periherm.* lib. 1, lect. 1.

(2) Cfr. S. Th. ib. lect. 1 et 4.

(3) S. Thom. *Periherm.* lect. 3, paragr. b; Cfr. de *Verit.* quæst. 14, a. 1, etc.

illos in unum, vel *dividendo*, nimirum affirmando vel negando unum de alio. Ita comparo Petrum cum animali, et quia video convenire, affirmo: *Petrus est animal*; itemque comparans hominem cum asino, judico: *Petrus non est asinus*.

Atque hæc causa est, cur iudicium vocetur quoque a Philosophis *compositio* vel *divisio* (1) *affirmatio* vel *negatio* (2) *assensus* seu *adhesio* vel *dissensus* (3). Vocatur etiam iudicium ex S. Thoma (4) *fides* (5).

Jam illico per se patet, in omni iudicio contineri bina extrema seu terminos, et copulam seu conjunctionem eorumdem: omnis quippe affirmatio et negatio aliquid affirmet, et neget, necesse est, ac de aliquo. Extremum ergo seu terminus, de quo aliquid affirmatur, vel negatur in actu iudicii, vocatur *subjectum*; et id quod affirmatur aut negatur, *prædicatum*; unio denique vel divisio extremorum, quorum unum de altero affirmatur aut negatur, vel ipsa affirmatio aut negatio, nomen habet *copula*. Unde subjectum ac prædicatum dicuntur *materia* iudicii vel propositionis, copula vero *forma* ejusdem. Quamvis, ut mox explanabimus, si subjectum et prædicatum invicem comparentur, illud se habet instar materiæ, hoc vero instar formæ illius. Propositio enim vel iudicium est artefactum quoddam logicum; in omni autem artefacto ea, ex quibus construitur, rationem habent materiæ, ordo vero ipse compositioque membrorum, appellatur forma (6). Ex quo et

(1) Quia conjungit, vel separat conceptus.

(2) Quia asserit, vel negat identitatem conceptuum.

(3) Quia mens per actum iudicii annuit, vel renuit conceptuum identitati.

(4) *De Verit.*, quæst. 14, a. 1; et q. 10, a. 8 ad 8.^m eorum quæ in contrarium; 1.^a dist. 19, q. 5, a. 1 ad 7.^{um}, et alibi.

(5) Quia mens iudicando fidem facit identitati vel discrepantiæ extremorum.

(6) In enuntiationibus de inesse, est tria considerare, scilicet subjectum, prædicatum, et compositionem utriusque: quæ ita se habent quodammodo, sicut in naturalibus. In homine enim est considerare corpus et animam et humanitatem. Corpus est materia, anima est forma, quæ est pars compositi, unde forma est respectu corporis; humanitas vero est forma respectu utriusque, id est respectu corporis et animæ. Sic in proposito: in enuntiatione subjectum est sicut materia, prædicatum vero sicut forma, quæ est pars compositi, unde est

illud consequitur essentiam iudicii compleri, et ultimo constitui, per copulam seu unionem terminorum, sine qua non potest haberi iudicium, etiamsi præsto sint termini, qui materiam dumtaxat exhibent illius.

Dices. In propositione negativa copula *negatur*, v. g. si dicas: *Petrus non est leo*. Ergo in propositione negativa non adest copula. Quare si copula est constitutivum propositionis, propositio negativa non est propositio. Respondeo in propositione negativa v. g. «cum dicitur: *Petrus non est leo*, particula *non* solum negat *objectivam compositionem*, id est, identitatem seu convenientiam objectorum, quæ quandoque dicitur *copula objectiva*. Non tamen negat *copulam formalem*, sed illam potius constituit simul cum verbo, ut consignificat» (1).

89. Unum tamen probe nota: α) per actum iudicii non ipsos *formales* conceptus subjecti et prædicati inter se copulari, sed *conceptus objectivos*. Nimirum, cum dico: *Petrus est doctus*, vel: *homo est rationalis*, sensus non est, quod actus mentis, quo cognoscitur *Petrus* aut *homo* est actus, quo cognoscitur *doctus* aut *rationalis*; sed *realitas* ipsa quæ cognoscitur per actum mentis representantem *Petrum* aut *hominem*, esse realitatem, quæ cognoscitur per actum mentis representantem *doctum* aut *rationalem*. Secus enim omnia iudicia affirmativa forent falsa, et solum negativa possent esse vera. Et ratio est, quia copula, quæ constituit ipsum actum formalem iudicii, asserit identitatem subjecti et prædicati. Jam vero conceptus formales subjecti et prædicati non sunt identici, cum sint duo actus distincti: nec intentio naturalis iudicantium est, identitatem vel discrepantiam talium actuum pronuntiare, sed rationum ipsarum objectivarum, quæ per illos actus seu conceptus formales a nobis intelliguntur. Et inde est, quod veritas aut falsitas iudiciorum, ex ipso nature instinctu, definitur ex eo quod res ita se habeat in se ipsa, prout per actum iudicii exprimitur. Id quod clarius perspicitur in propositionibus oralibus, in quibus nemo intelligit asseri identitatem

quasi forma respectu subjecti; compositio vero est forma utriusque. Ita S. Thomas, vel quicumque sit auctor. *Summ. totius Log. Arist. Tract. de Interpret. seu Enuntiatione.*, cap. 12.

(1) Lossada *Summul.*, disp. 6, cap. 4, n. 12.

In iudicio non formales conceptus, sed objectivi, copulantur.

vel diversitatem vocabulorum ipsorum in sua physica natura spectatorum, sed rerum, quæ per illa significantur. Sunt enim vocabula signa *subpositiva* seu *doctrinalia*.

Pro
quo supponit
subjectum
et prædicatum.

90 β) Illud etiam est animadvertendum, quod in actu iudicii subjectum supponere videtur pro re, prout est in suo statu reali, confuse representata, prædicatum vero exprimere id, quod mens clarius ac specialius de ipsa apprehendit, seu rem ipsam, prout hic et nunc apprehensam. Et quoniam iudicium stat in copula prædicati et subjecti, consequens est, iudicium ex sua natura exprimere conformitatem cognitionis cum re prout est in se; nimirum iudicium est quasi attestatio quædam, quod res ita est in se, prout a nobis cognoscitur.

Quanta esse
debeat identitas
prædicari
cum subjecto.

91 γ). Hinc subjectum et prædicatum non debent exhibere eandem præcise notas intelligibiles sine ulla diversitate etiam rationis; sed sufficit, ut eandem rem exprimant, ita ut prædicatum præ se ferat aliquid, quod revera insit seu reperitur in subjecto. Immo, si excipias iudicia vel propositiones, quæ pure *identice* vocantur seu *tautologicæ*, qualis est hæc: *Petrus est Petrus*, vel: *homo est homo*; in qualibet propositione affirmativa vera oportet, quod prædicatum et subjectum significant idem secundum rem aliquo modo, et diversum secundum rationem. Et hoc patet tam in propositionibus, quæ sunt de prædicato accidentali, quam in illis, quæ sunt de prædicato substantiali. Manifestum enim est, quod *HOMO* et *ALBUS* sunt idem subjecto, et differunt ratione, alia enim est ratio *HOMINIS* et alia ratio *ALBI*. Et similiter, cum dico: *HOMO est ANIMAL*. Illud enim ipsum, quod est homo, vere animal est; in eodem enim supposito est et natura sensibilis, a qua dicitur *ANIMAL*, et natura rationalis, a qua dicitur *HOMO*: unde et hic etiam prædicatum et subjectum sunt idem supposito, sed diversa ratione (1).

Subjectum se
habet tanquam
materiam
respectu prædi-
cati, et hoc
tanquam
forma illius.

92 δ). Quoniam intellectus in cognoscendo procedit de potentia ad actum, nec uno, ut ita dicam, ictu penitus exhaurit totam rei cognoscibilitatem, sed pedetentim apprehendit perfectiones et gradus entitatis diversos in rebus repertos, illosque per iudicium rebus iisdem attribuit; consequens pariter est, quod subjectum, saltem in dispositione naturali, se habeat in iudicio instar *materiæ* respectu prædicati, prædicatum

(1) S. Thom. 1 p. q. 13. art. 12.

vero instar *formæ* ex quarum junctioe quasi concretum quoddam coalescit. Et hæc vis est, nisi vehementer fallor, illius proloqui, cujus meminit Aquinas (1). *Prædicata tenentur formaliter, et subjecta materialiter*: quia nempe prædicatum exhibet formam seu perfectionem vel attributum, quo subjectum præditum est; et subjectum exhibet suppositum possidens formam per prædicatum expressam; copula vero ipsa mentalis, seu actus formalis affirmationis, significat *copulam* objectivam talis subjecti cum tali forma, seu identitatem vel saltem inbæssionem talis formæ in tali subjecto (2). Nam intellectus in omni propositione, aliquam formam significatam per prædicatum vel applicat alicui rei significatæ per subjectum, vel removel ab ea (3).

In quo
consistat copula
formalis.

93. Quæres in quo consistat copula *formalis* enuntiativa. Et responderi sic potest ex P. Lossada: «Consistit in significatione compositionis objectivæ, non qualicumque, sed exigente actuale consortium extremorum formalium, nempe earum formalium dictionum, quæ formalium subjecti et prædicati munus obeunt. Sane ad enuntiativam copulam non sufficit qualiscumque significatio compositionis seu conjunctionis prædicati objectivi cum subjecto: aliter hæc nomina *compositio, convenientia, identitas hominis cum Petro* vim enuntiativæ copulæ continerent, quod falsum est. Insuper ergo requiritur modus significandi quasi practice et iudicative, attribuens unum extremum objectivum alteri, vel removens unum ab altero: qui modus seu attributionis seu remotionis, cum necessario exigat consortium terminorum, talia extrema significantium, ideo hos terminos nectere seu copulare dicitur, alterum constituendo formale subjectum, alterum, prædicatum formale. Sed notandum, quod modus attributivus, proprius copulæ negantis coalescit ex eadem consignificatione et ex particula *non*; proindeque duo syncategoremata claudit» (4).

(1) S. Thom. 1 p. q. 13. art. 12.

(2) Cf. Conimbric., *Dialect.*, *Commentar. in Præfation. Porphyrii*, quæst. 3, a. 1.

(3) S. Thom. 1 p. q. 16, a. 2.

(4) Lossada, *Summul. disp. 6, cap. 3, n. 14*. Vide, si vacat, totum illud caput.

Divisiones
judicii.

94. Judicium multifariam dividi potest, sicut propositio, ut inferius videbimus: nunc sufficit indicare divisiones in judicium *immediatum ac mediatum; a priori et a posteriori*. Immediatum est illud, quod pronuntiatur ex mera conceptuum inspectione et comparatione, quia nimirum illico detegitur illorum convenientia vel discrepantia. Ut si dicas: *Totum est majus sua parte: Charta hæc candida est*. Mediatum e converso est illud, quod eget ratiocinio et comparatione duorum conceptuum cum tertio aliquo, cujus ope identitas vel repugnantia illorum detegatur v. g. *Animus humanus immortalis est*: quod judicium pronuntiare nequeo, nisi ope alicujus alterius termini, qui cum animo humano et immortalis identificetur atque adeo monstret identitatem duorum illorum conceptuum.

ARTICULUS II.

Quid sit nomen.

Quid nomen.

95. Nomen latissime est quælibet vox articulata, quam quamlibet et conceptum exprimimus: apud Grammaticos autem minus late sumitur pro voce, *quæ declinabilis est per casus*. Verum a Logicis ex Aristotelis doctrina (1) definitur *vox significativa ad placitum, finita, sine tempore, cujus nulla pars significat separatim; quæque adjuncto EST, verum vel falsum significat*: ut *homo, arbor, Petrus*.

Explicatur
definitio
nominis.

Dicitur *vox* per modum generis, et per hanc particulam differt nomen ab aliis sonis, quæ non sunt voces. Dicitur *significativa*, ad excludendos terminos non significativos, qualis est *blitheri*. *Ad placitum* dicitur, ad excludendas voces naturaliter significantes, ut *genitus infirmorum ac voces brutorum animalium*. *Finita*, ad excludendos terminos infinitos, qui nullam determinatam naturam nec suppositum expriment, sed tam ens quam non ens sub se complectuntur, quemadmodum fusius exposuimus (2). Additur *sine tempore*, ut distinguatur nomen a verbo ac participio, quod dicitur signifi-

(1) Vide Arist., lib. 1 *Perihermen.*, cap. 2, et S. Thom. ib. lect. 4.
(2) Vide supra n. 26.

Quid sit
significare cum
tempore seu
consignificare
tempus.

care *cum tempore*. Ut autem id probe intelligas, adverte aliud esse *significare* tempus, aliud *connotare* tempus; aliud *consignificare* tempus seu *significare cum tempore*. Significare tempus est habere vim excitandi notitiam seu ideam *temporis*, et ita significant tempus hæc voces *tempus, hora, dies, annus* etc., sicut quævis alia vox suam habet significationem. *Connotare* tempus est significare aliquid, quod certo aliquo tempore fieri solet ex hominum usu et consuetudine. Hoc modo tempus connotant hæc voces *cæna, prandium*: quia dum significant comestionem quamdam, simul denotant tempus, in quo illa fieri solet. Denique significare *cum tempore* aut etiam *consignificare* tempus est significare formam aliquam prout exercitam tempore, seu prout commensuratam tempori, in quo fit. Ita consignificat tempus hæc vox *amo, amabam* etc. quia exprimit *amorem nunc* vel alio tempore exercitum. (1).

Itaque cum nomen dicitur significare sine tempore, hoc tertium volumus excludere, non vero duo priora.

Præterea in definitione nominis adjungebatur *cujus nulla pars significat seorsum*, ut distinguatur ab oratione, nomen enim, secus atque oratio, debet esse terminus simplex seu incomplexus.

Tandem dicitur *quæque adjuncto* EST etc., ad excludendos casus obliquos, et reliqua syncategoremata, quæ a nominis dignitate removentur, propterea quod non nisi alteri termino adherentes, possunt propositionem veram aut falsam efficere. Neque enim si quis dicat: *Hominis est, velociter est* etc., verum aut falsum dicit. Ubi nota, ideo ad excludendos generatim a nominis conditione casus omnes obliquos, poni in definitione illa vocabula: *quæque adjuncto EST*, nimirum verbo substantivo, *quia sunt alia quædam verba, scilicet impersonalia, quæ cum obliquis (casibus) significant verum vel falsum, ut cum dicitur: PENITET SOCRATEM, quia actus verbi intelligitur ferri super obliquum, ac si diceretur: PENITENTIA HABET SOCRATEM* (2).

(1) Vid. S. Th. *Periherm.* lib. 1, lect. 1 post initium, Cfr. Joann. a S. Thom. *Illustration. in text. Summal.*, quest. 3.

(2) S. Th. *Periherm.*, lib. 1, lect. 4, paragr. 7. Cfr. Lossada. *Instit. Dialect. disp. 2, cap. 1, n. 4.*

Pronomen
et infinitivum
grammaticale
logici
nominis ratio-
nem habent.

96. Ex hac definitione facile colliges: 2) non idem prorsus esse nomen logicum et grammaticum. Et primo quidem pronomina grammaticorum et verba infinitivi modi sunt vera nomina logica. Verum enim est dicere: *Ego sum*; *Servire Deo regnare est*, *Dulce et decorum est pro patria mori*. Ideo in graeca lingua et in multis vernaculis infinitivo saepe praeponeitur articulus perinde ac nominibus (1).

β) Non solum voces nihil significantes, sed etiam aliae, quae in suppositione materiali accipiuntur, excidunt a nominis dignitate, quia nimirum non significant ad placitum. Dicuntur tamen omnes ejusmodi voces, licet hic et nunc non sunt propria nomina, habere vim nominis seu sumi in vi nominis, quia perinde ac si essent vera nomina, reddunt verbo suppositum, quemadmodum loquuntur Logici, nimirum sunt basis ac subjectum propositionis, quam simul cum copula et praedico constituunt: ut si dicas: *Blietri est vox*, *Curro est verbum*; *Petrus est vox dysillaba* (2).

γ) Voces adjectivae non videntur esse nomina, nisi substantivae sumantur in genere neutro, quia nimirum nequeunt reddere suppositum verbo, nec se solis facere simul cum verbo est veram aut falsam orationem.

δ) Nomen minus late patet quam terminus; quamquam enim omne nomen sit terminus, non vero e converso. Brevi; nomen convertitur dumtaxat cum termino *incomplexo, substantivo, categoramico, finito et non aequivo*. Unde nomini etiam convenire possunt omnes partitiones ejusmodi terminorum propriae (3).

ε) Liquet pariter ex dictis nomen logicum non idem esse atque grammaticum (4).

Si quis porro quaerat, cur Aristoteles et Logici communiter ita voluerint acceptionem nominis contrahere adversus communem usum Grammaticorum; ratio haec planissima

(1) Vide S. Th., loc. cit. lect. 5, post initium.

(2) Vide S. Thom. ib., lect. 5; et Lossada *Instit. Dialect.* disp. 2, cap. 1, n. 5.

(3) Lossada, *ibid.* n. 7.

(4) Vide haec omnia ap. S. Th. lib. 1.^o *Periherm.* lect. 4. Cfr. Coimbric, Rubius, et Tolet. in locis propriis de *Interpret.* ubi fusa de his: itemque Lossada, loc. cit., disp. 2, cap. 1, 2.

Quasnam
excludantur a
ratione nominis
logici.

Qualis
terminus sit
nomen.

reddi potest, quia Logici definiunt nomen in ordine ad propositiones, verum vel falsum enuntiantes; propositiones autem ejusmodi per se loquendo non consciuntur nisi ex talibus nominibus.

ARTICULUS III.

De verbo.

97. Verbi non una est acceptio; dicitur enim imprimis verbum simplex apprehensio, et saepe etiam verbum nuncupatur quodcumque vocabulum. Nunc autem agendum est de verbo in alia significatione, nimirum prout a nomine distinguitur. Et hoc sensu a Grammaticis definitur verbum: *vox declinabilis per tempora*.

At vero a Philosophis ad mentem Stagiritae describitur: *vox significativa ad placitum, finita ac cum tempore, cujus nulla pars significat separatim, et semper eorum, quae de alio praedicantur, est nota* (1).

In qua definitione, praetermissis his, quae circa nomen declarata sunt, oportet nunc exponere illa solum, quae propria sunt verbi.

Et primum dicitur *significare cum tempore*, in quo differt a nomine. Verbum enim significat formam aliquam seu actionem, ut exercitam in tempore, ut egredientem et manantem a subjecto in tempore, et prout commensuratam temporis (2). Per illud autem quod additur: *et semper eorum, quae de aliquo praedicantur, est nota, differt non solum a nomine, sed etiam a participio, quod quamquam significat cum tempore, non tamen est necessario nota seu signum eorum, quae de altero praedicantur; verbum autem non solum se tenet ex parte praedicali ratione formae, quam significat, sed praeterea exprimit actualem copulam seu compositionem illius cum subjecto* (3). Et ratio est, quia subjectum enuntiationis significatur, ut cui inhaeret aliquid, sed

(1) Vide Arist. lib. 1.^o, *Periherm.*, cap. 3.

(2) Nominis temporis hic intelligitur quaecumque duratio, sive permanens sive successiva, sive instantanea, sive diu producta.

(3) S. Thom. *Periherm.*, lib. 1, lect. 5, post initium.

Quid verbum.

cum verbum significet actionem per modum actionis, de cujus ratione est, ut inhæreat, semper ponitur ex parte prædicati, nunquam autem ex parte subjecti, nisi ponatur in vi nominis (1).

Tria importat
verbum

98. Quare, si bene res consideretur, tria importat verbum: a) formam aliquam significat ex hominum placito, v. g. *existo* significat existentiam, *curro* cursum, *amo* amorem, *ago* actionem. Et in hoc verbum convenit cum nomine, itemque cum participio, nam easdem illas formas significant nomina hæc, *existentia*, *cursum*, *amor*, *actio*.

β) Consignificat verbum deinde *tempus*, et in hoc differt a nomine. Etenim nomen significat formam seu rem tamquam *per se existentem*; verbum autem illam significat *per modum actionis* et *passionis*. Quod probe nota, non enim est idem *significare actionem* et *passionem*, et *significare per modum actionis*. Multa sunt nomina, quæ actionem et passionem significant, at in abstracto, et non per modum actionis, sed instar rei cujusdam per se existentis. Et e converso sunt etiam verba, quæ nec actionem nec passionem proprie significant v. g. *existo*, *quiesco*, *sisto*, *ardeo*, *albesco* etc., sed tamen semper significant formam suam *per modum actionis* et *passionis*, nimirum significant formam, ut egredientem, et manantem a subjecto, et eidem inhærentem. *Et quia id, quod primo et principaliter tempore mensuratur est motus, in quo consistit actio et passio, ideo verbum, quod significat actionem et passionem significat cum tempore* (2).

γ) Demum verbum est nota seu signum eorum, quæ de alio prædicantur, *tum quia verbum semper significat id, quod prædicatur, tum quia in omni prædicatione oportet esse verbum est, quod verbum importat compositionem, quæ prædicatum componitur subjecto* (3). Nimirum verbum exprimit copulam

(1) S. Thom. *ibid.*, paragr. c.

(2) S. Th., *Periherm.* lect. 5, paragr. b.

(3) *Id. ibid.*, paragr. b. Aristoteles addit verbum esse notam eorum, quæ de altero prædicantur, tamquam *eorum quæ de subjecto dicuntur aut in subjecto sunt*. Quod ita declarari potest, ut innuat Philosophus duo prædicatorum genera enuntiatum verbo: «aliud essentialia, ut *currrens movetur*, est enim *cursum* species *motus*; aliud accidentale, ut *Socrates currit*. Primum genus appellat Aristoteles juxta Bœtium et Ammonium ea, quæ dicuntur de subjecto, secundum,

seu actualem inhærentiam formæ vel prædicati cum subjecto. Et in hoc differt verbum a *participio*, quia participium per se solum absque verbi adminiculo non prædicatur de alio. Ita si quis dicat: *Petrus currrens*, nisi subaudiatur aut inseratur verbum *est*, non exprimit cursum actu ac vere competere Petro.

Aque hinc sequitur omne aliud verbum logice resolvi in verbum substantivum *sum*, *es*, *est*, et participium v. g. *scribo*, in: *sum scribens: Petrus currit*, in, *Petrus est currrens*, et ita porro (1).

Quodvis
aliud verbum
resolvitur
in *sum*, *es*, *est*.

99. COROLLARIUM 1.^{um} Verbum extra propositionem proprie ac plene verbum non est, quia verbum, docente Aristotele, significat quamdam compositionem, quam sine compositis non est intelligere (2). Solum posset dici verbum extra propositionem *aptitudinaliter*.

COLLORARIUM 2.^{um} Perspicias hinc, cur verbum debeat esse vox *finita*, quia verbum infinitum, quale est v. g. *non curro*, in sensu [infinito] acceptum, quatenus significat *non cursum*, nihil determinatum exprimit. *Est enim proprium verbi significare aliquid per modum actionis vel passionis quod prædicæ dictiones (infinitæ) non faciunt; remouent enim actionem vel passionem potius, quam aliquam determinatam actionem vel passionem significant* (3).

Quænam
excluduntur a
conditione
verbi logici

COROLLARIUM 3.^{um} Excluduntur a conditione verbi logici multa verba grammatica, seu potius modi, infinitivus, imperativus, optativus et participium; partim quia ex parte etiam subjecti ponuntur, et quidem in suppositione formali, ut participium et infinitivum, quemadmodum jam monuimus; partim quia non sunt nota prædicationis, cum non faciant veram vel falsam orationem, etiamsi cum nomine conjugantur

ea quæ sunt in subjecto; et utrumque, ait, mediante verbo enuntiatum. Conimbric. In commentar. cap. de Verbo (*Periherm.* lib. 1, c. 3). Cfr. S. Th. lect. 5.

(1) Cfr. S. Thom. lib. 5. *Metaph.* lect. 9, paragr. c.

(2) Loc. cit. cap. 3. Cfr. S. Th. *ib.* lect. 5 fin.

(3) S. Thom., loc. cit., lect. 5, paragr. d.

tur, ut videre est in modis, imperativo et optativo. Logice enim non agunt ex suo instituto nisi de verbis, prout apta sunt ad conficiendam propositionem verum vel falsum significantem, ut notavimus etiam de nomine.

Immo idem docet S. Thomas cum Aristotele de ipso indicativo modo respectu præteriti ac futuri temporis, videlicet bina hæc tempora non esse verbum proprie, sed casus verbi. *Cum enim verbum proprie sit, quod significat agere vel pati, hoc est proprie verbum, quod significat agere vel pati in actu, quod est agere vel pati simpliciter. Sed agere vel pati in præterito vel futuro, est secundum quid. Dicuntur etiam verba præteriti vel futuri temporis rationabiliter casus verbi, quod consignificat tempus præsens, quia præteritum, vel futurum dicitur per respectum ad præsens. Et enim præteritum, quod fuit præsens, futurum autem quod erit præsens.* (1). Et est hæc apud Philosophos communissima sententia.

Hinc autem sequitur omnem propositionem cum verbo de præterito aut futuro logice resolvendam esse in aliam, que copulam habeat in præsentem: ut hæc v. g. *senex fuit puer*; æquivalet logice huic: *senex est aliquis, qui puer fuit*. Quæ doctrina præ oculis habenda est in materia de propositionum conversionibus: qua de re inferius loquemur.

100. Adversus hanc verbi definitionem, communi Scholasticorum calculo approbatam, obijci nonnulla possent, que dissipare oportet. Sed prius notandum est, verbum communiter dividi in *substantivum* et *adjectivum*.

Verbum substantivum est verbum *sum, es, est*; adjectiva vero sunt reliqua omnia. Et verbum *sum es, est*, duo potest significare. Cum enim reperitur absolute et sine aliquo prædicato, idem sonat atque *existere*. v. g. *Petrus est; Deus est*, significat: *Deus existit; Petrus existit*. Cum autem habet post se aliquod prædicamentum, ut accidit in propositionibus, que vocantur *de tertio adjacente* (2), v. g. *Anima*

(1) S. Thom. Ibid., paragr. e. Cfr. Petrus Fonseca, *Inst. dialect.* lib. 1, cap. 14; Conimbricens., Rubius et Toletus, de *Interpret.* in cap. 3, etc.

(2) Quænam sint propositiones de *tertio* ac de *secundo adjacente*, docebitur paulo inferius n. 107.

Quomodo
reliqua tempora
verbi in modo
indicativo
resolvantur in
præsens.

Verbum
dividitur in
substantivum et
adjectivum.

humana est immortalis; Petrus est homo; tunc verbum *est* non significat existentiam; sed copulat prædicatum cum subjecto.

Contra expositam ergo definitionem primo arguitur: quia pleraque verba non significare videntur cum tempore, ut v. g. *creo, cogito*, quæ solum instans denotant, non vero tempus, creatio quippe et cogitatio in instanti peraguntur. Perperam ergo dicitur verbum significare cum tempore.

Præterea verbum *sum, es, est*, non videtur significare quidpiam in propositionibus de tertio adjacente, sed esse meram notam copulæ atque identitatis objectivæ subjectum inter et prædicatum. Denique verbum quodvis in propositionibus quæ dicuntur *æternæ veritatis*, versanturque circa materiam necessariam, ex solemniori loquendi modo Philosophorum dicitur *absolvi a tempore*. Verum ergo non est in universum, quod verbum tria illa significet, quæ nuper exposita fuere ad mentem Aristotelis.

Ad primum autem objectorum facilis est responsio, «nomine temporis intelligi quamvis durationem, quemadmodum nomine actionis intelligitur quædam res-significata per modum actionis: unde hæc verba *quiesco, sisto*, et similia, quæ significant privationes, censentur repræsentare actionem» (1).

Secunda objectio tangit quæstionem agitam circa vim verbi substantivi in propositionibus de *tertio adjacente*. In propositionibus enim in quibus verbum *sum, es, est*, idem valet atque *existo*, dubium non est, quin significare possit tria illa, quæ verbum significare docet Aristoteles. Qua in quæstione duplex adest sententia: plures enim arbitrantur verbum *est* in ejusmodi propositionibus esse meram copulam, seu exercere tantummodo officium syncategorematis, copulantis prædicatum cum subjecto, ut volunt Fonseca (2), Sylvester Maurus (3) aliique tacite relati apud Card. Toletum (4). At vero S. Tho-

Objecta contra
superiorem
doctrinam.

Solvuntur.

(1) Conimbric. *Dialect.*, in cap. 4 lib. 1 de *Interpret.*, quæst. 2, art. 4 in resp. ad argum. 1.^{um}

(2) *Instit. Dialect.* lib. 1, cap. 14.

(3) *Summul.* cap. 31.

(4) In lib. 1 de *Interpret.*, cap. 3, de *Verbo*, quæst. 1. initio.

mas (1), Suarez (2), Conimbricenses (3), Toletus (4), Rubius (5), Izquierdo (6), Compton (7), Joannes a S. Thoma (8) et alii communius ac probabilius docent, verbum *est* etiam in propositionibus de *tertio adjacente*, in quibus suum inest expresse prædicatum, præter vim copulæ ac præter consignificationem temporis, aliud habere significatum principale, nimirum significare *actum essentiae*, seu *entitatem in communi*, vel *rationem* communem entis, quæ deinde determinatur per adjunctum prædicatum: ut si dicatur: *Homo est animal*, sensus sit. *Homo est ens animale*, seu habet entitatem animalis; et similiter si dicatur *Homo est albus*, idem sonet ac: *Homo est ens album*. Quamobrem in hac sententia verbum *sum, es est*, etiam in propositionibus de *tertio adjacente* suam habet peculiarem significacionem, ut quodvis aliud verbum; nec est mera copula, sed exprimit partem prædicati, quæ simul cum attributo peculiari, expresso in ejusmodi propositione, constituit tandem integrum prædicatum, quod de subjecto enuntiatur, ut videre est in allatis exemplis (9).

Et secundum hanc alteram sententiam, facile dissolvitur id, quod secundo loco fuerat objectum, negando simpliciter assertum.

Tertia objectio similiter connexa est cum alia controversia, in qua scinduntur auctores in varias opiniones. Dubitatur

(1) *Periherm.* lib. 1, lect. 5, paragr. q. fine; et *Metaphysicor.* lib. 5, lect. 9, paragr. c.

(2) *Disp. Metaph* 54, sect. 3, n. 4.

(3) *Dialect.* in lib. 1. de *Interpret.*, cap. 3. et 4., quæst. 2. art. 4, sect. 2.

(4) In eundem locum, quæst. 1.^a

(5) *Logica* in lib. 1.^o de *Interpret.*, cap. 3, quæst. 2.

(6) *Pharus scientiar.*, disp. 2, quæst. 4, n. 217.

(7) *Summul.* disp. 5, sect. 2.

(8) *Illustrationes in Summul.* quæst. 3, a. 1.

(9) Ob hanc rationem arbitrantur quidam verbum *sum, es, est*, non esse substantivum, nisi in propositionibus de *tertio adjacente*, in quibus significat actum essentiae; in propositionibus autem de *secundo adjacente*, in quibus significat actum dumtaxat existentiae, habendum esse pro adjectivo. Vide Izquierdo, *Op. cit.* disp. 9, quæst. 1, n. 6; Lossada *Inst. Dialect.*, disp. 2, cap. 3, n. 5.

nimirum, utrum verbum *sum, es, est*, significet etiam cum tempore, sicut docet Aristoteles generatim de omni verbo. Et difficultas potissimum versatur circa illas propositiones, in quibus prædicatum spectat ad naturam subjecti, quæ vocari solent a Philosophis propositiones æternæ veritatis, dicunturque communiter *absolvi a tempore*, ad differentiam aliarum propositionum de materia non necessaria. Quid enim, quæso, est *absolvi a tempore*, nisi non significare tempus?

Nihilominus dicendum videtur etiam in propositionibus æternæ veritatis ac de materia necessaria, verbum *est*, semper significare tempus, ita tamen, ut unio extremorum non restringatur præcise ad differentiam temporis expressam per verbum, sed ita, ut transiliat omne tempus. Et hoc est *absolvi a tempore* nimirum non alligari vel coartari ad tempus aliquod, minime vero *nullum significare tempus*. In cæteris enim propositionibus v. g. cum dicitur: *Petrus currit; Joannes prædicavit; Paulus erit doctus* etc., vi verbi, *cursus Petri* restringitur ad tempus præsens, et verificatur propositio, licet nec *ante* nec *post* locum habeat cursus: itemque prædicatio Joannis limitatur ad præteritum, et Pauli doctrina ad futurum. At vero in propositionibus æternæ veritatis prædicatum non solum convenit subjecto in tempore per verbum expresso, sed etiam in quocumque alio tempore ac duratione per totam æternitatem: ut si dicas: *Homo est animal*, animalitas non solum verificatur de homine nunc in tempore præsentem, quod enuntiat verbum *est, sed ante et post, ac semper*; ut æquivalet huic propositioni: *Homo, in quocumque tempore fuerit, essentialiter est animal; vel de ratione hominis, in quocumque statu concipiatur, est animalitas*. Id quod significavit M. Augustinus, cum scripsit: *Septem et tria decem sunt, et non solum nunc, sed semper* (1). Quæ cum ita sint, ad tertiam objectionem respondetur negando illatum, perperam enim interpretatur vim axiomatis illius, quo verbum in quibusdam propositionibus dicitur *absolvi a tempore*.

Quid sit *absolvi a tempore*.

101. SCHOLION. Occasione hujus definitionis, quæri solet, num verbum intra propositionem possit *infinitari*, seu

Utrum verbum infinitari possit.

(1) Libr. 2 de *libero Arbitrio*, cap. 8. Vide Lossada, loc. cit., n. 6.

sumi *infinite*. Sunt enim qui existimant in quacunque propositione particula *non* præfigatur verbo, sensum reddere negativum atque adeo signum esse, quod prædicatum subiecto non conveniat, minime vero particulam illam *infinite* significationem verbi: quamobrem, dicunt, verbum extra propositionem, potest *infinite* esse, ut *non valet* v. g. *infinite* est, si exprimit *non valetudinem*; at vero intra propositionem usus jam obtinuit, ut particula *non* unice adhibeatur, et intelligatur in sensu negativo. Ita inter alios P. Joannes a S. Thoma (1): idque videtur docuisse Angelicus in commento super secundum librum de Interpretatione: *Extra enuntiationem potest accipi verbum infinite per modum unius dictionis, sicut et nomen infinite. Sed quando negatio additur verbo in enuntiatione posito, negatio illa removet verbum ab aliquo, et sic facit enuntiationem negativam. Quod non accidit ex parte nominis, non enim enuntiatione efficitur negativa nisi per hoc, quod negetur compositio, quæ importatur in verbo: et ideo verbum infinite positum in enuntiatione fit verbum negativum* (2).

Alii vero censent, licet plerumque particulam *non* aliud non faciat, quam reddere propositionem negativam, relicto verbo in sua pristina et determinata significatione, posse tamen, quandoque *infinite* verbum, quin reddat sensum orationis negativum, id quod ex contextu vel adjunctis iudicandum est. Ita «si... interroganti quid agit amicus, speciali vocis tono respondeas: Certe *non* dormit, non tam efficies propositionem negativam, quam affirmativam, de verbo infinito. In iis quippe circumstantiis, hic videtur esse responsionis sensus: *Amicus aliquid agit, quod non est dormire*» (3). Simili modo etiam in hoc syllogismo: *Quod non est compositum est indivisibile. Atqui anima humana non est composita. Ergo indivisibilis est*; particula negans minoris propositionis certe non afficit copulam, sed potius reddit sensum infinitum, vis enim minoris illius ac significatio hæc est: *Anima humana*

(1) *Illustrationes in Summul.* quæst. 3, a. 2.

(2) Lib. 2 *Perihermen.*, lect. 1. [Et pro hac eadem sententia laudantur Alexander Aphrodisæus, Boëtius et Albertus Magnus a Conimbricensibus (*Dialect.*, de *Interpret.* c. 3 et 4, quæst. 2, art. 4, sect. 1.^a]

(3) Lossada, *Instit. Dialect.*, disp. 2, cap. 4, n. 3.

est aliquid non compositum, terminus quippe medius totius syllogismi est *ens non compositum*.

Ita sentiunt Conimbricenses (1), Toletus (2), Rubius (3), Lossada (4) et alii. Et idem suaderi posse videtur ex ipso Philosopho, qui hoc affert exemplum demonstrationis per effectum: *Cælestia corpora, quæ non scintillant, prope terram sunt. Atqui planetæ non scintillant. Ergo prope terram sunt* (5). Ubi minor non est negativa, ut patet, etiam ex contextu, sed potius habet sensum infinitum. Secus enim non posset sequi conclusio affirmativa, si minor foret negativa; præterquamquod nequit recte concludere syllogismus in prima figura, qualis est hic, cum minori negante.

Equidem crediderim controversiam non magni esse momenti; resque tota videtur pendere ex mente loquentis.

Et hæc sufficiant de partibus physici propositionis; quibus expositis, jam ad orationem atque enuntiationem progrediendum est. Si quis autem quærat, cur alias partes propositionis, quas Grammatici considerant, Philosophi, duce Aristotele, prætermittant, responsio in promptu est: primo, quia hæ solæ sunt partes essentielles, quæ sufficiunt ad enuntiationem efficiendam, et sine quibus nulla construi enuntiatione potest, deinde, quia hæ sunt partes principales orationis, sub quibus reliquæ comprehenduntur. Id quod præclare docuit Aquinas: *Polest... dubitari, quare prætermittis aliis orationis partibus, de solo nomine et verbo determinat* (Aristoteles). *Ad quod dicitur est, quod quia de simplici oratione determinare intendit, sufficit, ut solas partes enuntiationis pertractet, ex quibus ex necessitate simplex oratio constat. Polest autem ex solo nomine et verbo simplex enuntiatione fieri, non autem ex aliis orationis partibus sine his: et ideo sufficiens ei fuit, de his duabus determinare.*

Vel potest dici, quod sola nomina et verba sunt principales orationis partes. Sub nominibus enim comprehenduntur pronomina, quæ, etsi non nominant naturam, personam tamen deter-

Cur Logicus non tractet omnes partes orationis, quas Grammatici contemplantur.

(1) Loc. nuper cit. art. 4, sect. 1.

(2) De *Interpret.*, cap. 3, quæst. 1.

(3) *Ibid.* cap. 3, quæst. 3, n. 26.

(4) Loc. cit.

(5) Vide Aristot., Lib. 1.^o *Posterior. analiticor.*, cap. 13.

minant, et ideo loco nominum ponuntur; sub verbo vero participium, quod consignificat tempus, quamvis et cum nomine convenientiam habeat. Alia vero sunt magis colligationes partium orationis, significantes habitudinem unius ad aliam, quam orationis partes, sicut clavi, et alia hujusmodi non sunt partes navis, sed partium navis conjunctiones (1).

ARTICULUS IV.

De oratione.

102. Oratio definitur ab Aristotele: *vox significativa ad placitum, cujus partium aliqua significat separatim, ut dictio, non ut affirmatio aut negatio* (2); ut sol lucet, princeps militiæ, vir honestus etc.

Dicitur *vox* in singulari, quamquam plures sint in oratione voces, ad innuendam unitatem, quam medio nexu grammaticali habeant voces, oportet, ut possint orationem conflare: voces quippe dissociatæ orationem non faciunt.

Dicitur *cujus partium aliqua significat separatim*, quia quamquam non obstat, quominus omnes etiam partes significare possint seorsim, ut sæpe contingit, id tamen necesse non est ad essentialem rationem orationis generatim sumptæ, sed sufficit, ut aliqua pars complexionis seorsim significet, licet cæteræ sint syncategoremata.

Et per hanc particulam differt oratio a nomine ac verbo, quæ sunt voces simplices, quarum nulla pars habet seorsum significationem; oratio vero est complexio vocabulorum, quorum saltem unum sit terminus categorematicus.

Additur in definitione, partem aliquam orationis debere separatim significare ut dictionem, non vero ut affirmationem vel negationem: quæ verba in primis adduntur, non ad completam definitionem, quæ jam satis continetur in præcedentibus verbis, sed ad eam magis declarandam, et ansam tollendam omnis

(1) S. Thom. 1.^a *Periherm.*, lect. 1 post medium.

Si quis cupiat etiam de aliis minutioribus partibus scire, legat P. Petrum Fonseca, *Instil. Dialect.* libr. 1, cap. 15.

(2) Lib. 1. *Periherm.* cap. 4.

deceptionis. Quia enim intelligi poterat, partem orationis seorsim significativam debere significare per modum affirmationis aut negationis prædicati de subjecto, declarare voluit, id non esse orationi in communi essentialia. Hic enim definitur oratio in communi. Unde debet poni in definitione id, quod est commune omni orationi, simplici et compositæ. Habere autem partes significantes aliquid, ut affirmatio, hoc solum competit orationi compositæ; sed habere partes significantes aliquid per modum dictionis, et non per modum affirmationis, est commune orationi simplici et compositæ (1). Sed neque debet intelligi esse de ratione orationis, quod pars ejus non sit affirmatio (2).

Aliis vocibus, quando a communi ratione orationis excluditur, quod ulla pars ipsius significat per modum affirmationis, id excluditur, non quasi id foret contra naturam orationis, sed quia id est præter naturam ipsius, seu non necessarium ad orationem habendam. Sicut ex definitione animalis excluditur, quod sit *rationale*, non quia rationalitas sit opposita animali, sed quia est præter animal, unde non ingreditur rationem seu definitionem animalis.

103. Colliges hinc, orationem logicam discriminari a grammaticali, ad logicam enim, secus atque ad grammaticalem, non requiritur verbum, nec copula *est*, sed sufficit quævis alia grammaticalis unio duorum vel plurium terminorum, sive ope conjunctionis aliarumque particularum, sive per concordantiam adjectivi cum substantivo, sive per casum rectum et obliquum ab eo pendentem, quemadmodum expresse docet Angelicus (3) cæterique Philosophi. Quamobrem omnis terminus complexus est etiam quædam oratio logica (4).

104. Oratio dividitur in *perfectam et imperfectam*. Imperfecta est, quæ continet sententiam imperfectam et suspen-

(1) S. Thom. *Periherm.* lib. 1, lect. 6 post initium.

(2) *Ibid.*

(3) Lib. 1.^o *Periherm.*, lect. 6, in expositione definitionis orationis; et *Periherm.*, lib. 1., lect. 8, paragr. b.

(4) Immo sunt, qui doceant voces illas, materialiter quidem simplices, complexas autem quoad significationem, et pluribus æquivalentes, ut *nemo, nihil*, ad orationem revocari posse, dicitur *virtualiter* orationes. Ita v. gr. Conimbricens.; *Dialect. De interpret.* c. 3, 4, quæst. 3, a. 1 ad 3.^{um} Fonseca, *Dialect.* lib. 3, cap. 1.

Quid differat oratio logica a grammaticali.

Quatuplex oratio.

sam, v. g. *Sic vos non vobis: Liber doctus; Si ego Deum amarem; Ille ego qui quondam...* Perfecta est quæ sensum reddit completum ac perfectum, ut: *Homo est animal rationale: Petrus currit; vir obediens loquetur victorias.*

Perfecta oratio
quotuplex.

Perfecta subdividitur in enuntiativam et non enuntiativam. Oratio enuntiativa seu enuntiatio est, quæ verum vel falsum significat. Ut: *Petrus est doctus; vitis fert suavissimum fructum.* Non enuntiativa est, quæ verum vel falsum non significat: et subdividitur in vocativam, interrogativam, ad quam revocatur ex D. Thoma dubitativam, imperativam et deprecativam, ad quam ex eodem Angelico reduci potest optativa. Vocativæ sit exemplum: *O vos omnes, qui transitis per viam* (1). Interrogativæ: *Domine, quid me vis facere?* (2); imperativæ: *Lazare, veni foras* (3); deprecativæ: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam* (4); optativæ: *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas* (5); dubitativæ: *Ne forte peccaverint filii mei* (6).

Ratio hujus divisionis hæc redditur ab Aquinate: *Quia intellectus vel ratio non solum concipit in seipso veritatem rei, sed et ad ejus officium pertinet secundum suum conceptum alia dirigere et ordinare; ideo necesse fuit, quod sicut per enuntiativam orationem significatur ipse mentis conceptus, ita etiam essent aliæ alia orationes significantes ordinem rationis, secundum quem alia diriguntur. Dirigitur autem ex ratione unius hominis alius homo ad tria; primo quidem ad attendendum mente, et ad hoc pertinet vocativa oratio; secundo ad respondendum voce, et ad hoc pertinet interrogativa; tertia ad exequendum in opere, et ad hoc pertinet, quantum ad inferiores, oratio imperativa, quantum autem ad superiores, oratio deprecativa, ad quam reducitur oratio optativa, quia respectu superioris homo non habet vim motivam, nisi per expressionem sui desiderii. Quia igitur istæ quatuor orationis species non significant ipsum conceptum intellectus, in quo est verum vel falsum, sed quendam ordinem ad hoc consequen-*

- (1) Hierem. Threnor. cap. 1, v. 12.
- (2) Act. Apost. c. 9, v. 6.
- (3) Evang. Joann. c. 11, v. 43.
- (4) Psalm. 50, v. 1.
- (5) Psalm. 118, v. 5.
- (6) Job. c. 1, v. 5.

tem; inde est, quod in nulla earum invenitur verum vel falsum, sed solum in enuntiativa, quæ significat id, quod de rebus concipitur. Et inde est, quod omnes isti modi orationum, in quibus invenitur verum vel falsum, sub enuntiatione continentur, quam quidam dicunt indicativam vel suppositivam. Dubitativa autem ad interrogativam reducitur, sicut et optativa ad deprecativam (1).

Verum ex omnibus istis orationis generibus, solam enuntiativam considerat Logica, ex Aristotelis ac D. Thomæ sententia, cæteras relinquens oratoribus ac poetis. *Cujus ratio est, quia consideratio hujus libri directe ordinatur ad scientiam demonstrativam, in qua animus hominis per rationem inducitur ad consentiendum vero ex his, quæ propria sunt rei: et ideo demonstrator non utitur ad suum finem nisi enuntiativis orationibus, significantibus res, secundum quod earum veritas est in anima. Sed Rhetor et Pœta ducunt ad assentiendum ei, quod intendunt, non solum per ea quæ sunt propria rei, sed etiam per dispositiones audientis. Unde Rhetores et Pœtæ plerumque movent auditores in unum, provocando eos ad aliquas passiones... Et ideo consideratio dictarum specierum orationis, quæ pertinet ad ordinationem audientis in aliquid, cadit proprie sub consideratione Rhetoricæ vel Pœticæ, ratione sui significati; ad considerationem autem Grammatici, prout consideratur in eis congrua vocum constructio (2).*

Solum oratio
enuntiativa
est Logica
propria.

ARTICULUS V.

De oratione enuntiativa seu propositione.

105. Oralis expressio iudicii, quæ ad logicam considerationem spectat, vocatur *enuntiatio*, vel *propositio*, quamquam interdum solet etiam his nominibus designari actus ipsius mentalis iudicii; et etiam *interpretatio*. Quamvis enim secundum Bœtium (3) nomina quoque ac verba et quævis orationes dici possint *interpretationes*, nihilominus nomen et verbum magis *interpretationis principia esse videntur, quam interpreta-*

- (1) S. Thom. lib. 1.^{us} *Periherm.* lect. 7, paragr. b.
- (2) S. Th. ib.
- (3) In Commentario de *Interpretat.*, initio.